UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ Principia Et Usum

De iudiciis criminalibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1766**

Titulus XV. De aliis Criminibus contra Fidem, præsertim de Judæis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68185

Visual Library

punitur fuſtigatione & perpetuo exilio, tanquam reus de crimine falſi 1.).

# TITULUS XV.

## DE ALIIS CRIMINIBUS CONTRA FIDEM, PRÆSERTIM DE JUDÆIS.

*Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 6. Clement. Tit. 2. Extravag. Joann. XXII. Tit. 8. Commun. Lib. V. Tit. 2.*

§. 177.

*Infidelibus non deberet permitti habitatio inter Catholicos:*

HÆRESIS & Schisma proprie eſt fidelium, ſeu baptizatorum, qui per baptiſmum ingreſſi ſunt in Eccleſiam, & vel ab ipſius fide, ſaltem in aliquo articulo, vel ab obedientia ſecedunt. Infideles autem dicuntur, qui carent baptiſmo & fide in Chriſtum. Ex his aliqui vocantur Gentiles, Ethnici, vel Idololatræ, qui rebus creatis latriæ cultum exhibent. Alii dicuntur *Saraceni*, qui ſequuntur Mahometis ſectam, uti ſunt Turcæ, Tartari, Perſæ, Arabes, Ægyptii, qui aliquem vero Numini cultum

1.) Vid. Jodoc. Beck de Jur. Judæor. fol. 331. ſeqq.

tum exhibent, ſed ſecundum leges Alcorani. Alii ſunt *Judæi*, qui veteri Teſtamento circa præcepta ceremonialia & judicialia jam abrogata inhærent, contempta lege Chriſti, quem venturum credunt, cum ex ipſa Evangelii dilatatione & impletis Prophetiis Eum jam pridem veniſſe luculenter convincantur.

§. 178. Ut Idololatræ aut Turcæ tolerentur inter Chriſtianos ſubditos vivere, nunquam permittendum eſt a Principe. Directe tamen & per ſe cogi non poſſunt ad ſuſcipiendum Baptiſmum, & Religionem Chriſtianam. Poſſe Principem Chriſtianum non ſolum uti opera ſuorum ſubditorum infidelium, ſed etiam inire fœdus cum externis infidelibus, illorumque auxilium adhibere contra alium Principem Chriſtianum, permittunt plurimi, ſi ſumma neceſſitas urget, quæ aliter vitari non poteſt, addito tamen monito, ut ex tali auxilio Chriſtiana Religio detrimentum non patiatur. Ut autem Princeps Catholicus præſtet auxilium infidelibus contra Catholicos, vix unquam continget, ut fiat licitum. In Bulla Cœnæ *Art. 7.* excommunicantur illi, qui

*Multo minus auxilium præſtari contra Catholicos.*

ad Chriſtiani nominis hoſtes deferunt ſeu transmittunt arma atque bellica inſtrumenta , quibus impugnentur Chriſtiani. Ab hac Cenſura vix immunes ſe præſtabunt, qui auxilium infidelibus in bello contra fideles præſtant 2.).

*Tolerantur tamen Judæi,* §. 179. Tolerari tamen poſſunt Judæi, ubi jam recepti ſunt, cum ſint teſtes revelationum de Chriſto factarum in veteri teſtamento; præbeant exemplum vindictæ Divinæ, & aliquando ſint convertendi ad fidem Chriſtianam, ut ſit unus Paſtor, & unum ovile. Unde Saraceni & alii infideles cenſentur hoſtes Chriſtianorum; Judæi ſervorum ac captivorum loco habentur. Nimia tamen familiaritas cum illis eſt evitanda, *ne reddant* Chriſtianis *pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum, qui tanquam miſericorditer in noſtram familiaritatem admiſſi, nobis illam retributionem impendunt, quam juxta vulgare proverbium, mus in pera, ſerpens in gremio, &*

2.) Vid. Emmanuel Correa Idea Conſiliarii, Diſput. 6. ſect. 2. §. 3. n. 1400. ſeqq.

*& ignis in ſinu, ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere* 3.).

§. 180. Imo etiam Judæi baptizati olim valde ſuſpecti habebantur, & eorum liberi arcebantur a dignitatibus: poſtea mitius actum; nec repelluntur a beneficiis Eccleſiaſticis, ſi ſincere fidem ſuſceperint, & hanc ſinceritatem bonis moribus probaverint 4.). Quibusdam tamen populis ea diffidentia contra converſos Judæos inhæret, ut hæc macula vix per quatuor generationes deleri poſſit: unde etiam quidam Ordines Religioſi coguntur filios ac nepotes Judæorum ab ingreſſu ſuæ Religionis repellere, ne in ejusmodi Regnis malæ famæ maculam contrahant 5.). Ne autem Judæi non ſatis cogniti in familiaritatem Chriſtianorum irrepant, in variis Provinciis ordinatum fuit, ut in veſtibus diſtinguantur a

*Cum opportunis cautelis.*



---

3.) C. 13. de Judæis, ubi refertur propudioſus mos tractandi Chriſtianas nutrices ſuorum filiorum.

4.) C. 7. de Reſcript. & ibid. GONZALEZ. FRAGOSUS de Rep. Chriſt. p. 1. lib. 1. diſp. 2. §. 8.

5.) Fuſe & erudite de hac re diſcurrit AUG. BARBOSA Voto 93.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chriſtianis. Viri geſtare deberent annulum flavum in veſte, feminæ cæruleas notas in peplo 6.). Hæc varietas veſtium translata eſt in jus commune per Concilium Lateranenſe 7.). Romæ meretrices ab honeſtis matronis veſte erant diſtinctæ, & ſervi a liberis. Hanc legem inſtauravit ALEXANDER SEVERUS, ſed Ulpiani Paulique conſilio eam remiſit 8.). In Germania hoc ſignum, quo Judæi diſcerni poſſint, paſſim non amplius urgetur: videtur tamen DEus eos ſignaſſe, ut facile a Chriſtianis diſtinguantur.

*Jus recipiendi Judæos.* § 181. Jus eos recipiendi in Imperio erat olim Imperatori reſervatum. FRIDERICUS II., inter Cæſares primus Judæos diſerte nominaſſe creditur ſervos Cameræ ſuæ 9.): quamvis

6.) Reform. Polit. Auguſt. ann. 1530. tit. 22. §. 1.
7.) C. 15. de Judæis.
8.) Vid. ÆLIUS LAMPRIDIUS in vita ALEXANDRI SEVERI. Univerſim quæri poteſt, an in civitate utilis ſit diverſitas habitus ad dignoſcendos omnes gradus hominum? Diſcuſſio hujus quæſtionis non eſt hujus loci.
9.) Kayſerliche Fiſcal - oder Cammer-Knechte.

vis jam priores Imperatores eodem jure in eos uſi ſint. Servitus autem iſta præcipue conſiſtit in obligatione annui cenſus præſtandi, cum Imperator viciſſim ſpecialiter eos protegat. Si quid Status Imperii attentant circa Judæos, id ex conceſſione Cæſarum & intuitu Regalium, quæ ab Imperatore & ab Imperio obtinent, fieri cenſetur 10.). Singulare privilegium datur Electoribus in aurea Bulla 11.). His temporibus omnes Status immediati exercere poſſunt jus admittendi Judæos: multi tamen prudenter abſtinent. Qui autem recipiunt, etiam Jurisdictionem in eos exercent. In Comitiis Imperii tam ordinariis, quam Electionis & Coronationis Cæſareæ, Judæi in urbe illa, ubi Comitia celebrantur, morantes, peculiari Archi-Mareſchalli Imperii protectioni ſubſunt. Unde Ratisbonæ, quia ibi Comitia perpetuo continuantur, inita eſt conventio inter Comitem Pappenhemium tanquam Mareſchallum Imperii, &



10.) Reform. Polit. Auguſt. 1530. tit. 27. & 1548. tit. 20. item anno 1577. tit. 20.
11.) Tit. 9. §. 2.

Magiſtratum Ratisbonenſem, qui promiſit, ſe quatuor familias Judaicas toleraturum, ſub protectione Mareſchalli negotiaturos, cui ſingulæ quot annis certam pendunt pecuniæ ſummam 12.).

*Perſecutio Judæorum.* §. 182. Multa autem turbulentis illis ſeculis XIII. & XIV. violenter & ex uſurpata poteſtate in Judæos acta ſunt. Ex multis locis expulſos legimus propter multa ſcelera, præſertim enecatos liberos Chriſtianorum, uti Simonis Tridentini, Andreæ ex loco Rhinn prope Oenipontum. An omnes ejusmodi hiſtoriæ ſint veræ, aliis examinandum relinquimus. Monachii in Bavaria anno 1285. occidiſſe dicuntur infantem ab anu Chriſtiana venditum: quapropter ab exacerbato populo 180. Judæi combuſti fuerunt. Seculo XIV. per Germaniam magna ubique perſecutio Judæorum exorta eſt: unde dicuntur originem ducere Zingari, ſcilicet ex Judæis ſe occultantibus in ſylvis. Judæi ex Hiſpania pulſi, varias artes transtulerunt ad Turcas: unde

12.) Vid. Pfeffinger ad Vitriar. tom 3. fol. 1278. ſeqq.

unde cenſent aliqui, conſultius fuiſſe, ut redigerentur in ſervitutem Hiſpanorum.

*Servant Judæi leges communes:*

§. 183. Ubi hodie Judæi in Germania inter Christianos vivunt, non ſunt cives, ſed degunt ſub protectione Principis, cui etiam præſtant annuum cenſum 13.). Ante paucos annos Parlamentum Angliæ conceſſit illis jus civitatis: ſequenti anno mox iterum abrogavit. Utuntur ut plurimum Lege Moſaica in iis, quæ ad Religionis ceremonias pertinent: unde non citantur in Judicium die Sabbathi, & Chriſtianis permittitur, ut eodem die Sabbathi aliquas operas illis præſtent. In iis tamen, quæ concernunt regimen politicum, obſervare debent leges communes, etiam Canonicas. Igitur non permittuntur ipſis uſuræ; quoad annuos cenſus non plus poſſunt accipere, quam 5. pro 100.; nec in inſtrumentis obligationem ſuper ejusmodi contractu erigendis adhibenda eſt lingua Hebraica, ſed ſolum Germanica. Non admittuntur ad publicas digni-



13.) Schuz-Verwandte, Schuz-Gelt.

tates, vel publica officia 14.): neque ad Doctoris gradum in plerisque Academiis: poſſunt tamen eſſe Medici, vel Chirurgi, quia apud Romanos hanc artem exercuerunt etiam ſervi, qui ab omnibus dignitatibus excludebantur. Admittuntur autem ad locationem vectigalium; quia non eſt officium publicum, ſed genus negotiationis, quo eis interdictum non eſt, ſervatis tamen debitis cautelis 15.).

*Quoad matrimonia utuntur Legibus Moſaicis*

§. 184. Quoad impedimenta matrimonii utuntur Legibus Moſaicis, quæ prohibent matrimonium I. cum matre. II. Filia. III. Noverca. IV. Sorore. V. Nepte ex filio vel filia. VI. Sorore patris. VII. Sorore matris. VIII. Uxore patrui. IX. Nuru. X. Fratris uxore. XI. Privigna. XII. Privigni filia. XIII. Socru. XIV. Uxoris ſorore, ſaltem vivente uxore. Libellus repudii non quidem legibus Imperii ipſis eſt interdictus: nihilominus ipſi habent ejusmodi leges inter ſe, & pretioſos ritus, ut rariſſime utantur hoc libello. In caſu, quo

14.) C. 16. de Judæis. L. ult. C. eod.
15.) C. 18. eod.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quo maritus baptizatur, & uxore pacifice non cohabitante, ad alias nuptias tranſit, non poteſt, prohibente Lege Evangelii, cui jam per baptiſmum ſubjectus eſt, libellum repudii dare uxori Judææ, licet hæc grave damnum inde patiatur, cum inter ſuos contribules non inventura ſit alium maritum, niſi exhibere poſſit libellum repudii a priore marito ſolenniter & Rabbinico ritu datum 16.). Cauſæ matrimoniales Judæorum annumerantur cauſis ſecularibus, & ideo non trahuntur ad Conſiſtoria Epiſcopalia, *Cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus: quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis, qui foris ſunt, judicare* 17.)?

*Quoad Judicialia,*

§. 185. Singulariter in Germania prohibitum eſt, ne Judæi actiones ſuas, quas habent contra Chriſtia-

num,

16.) Vid. Benedicti XIV. Bullar. tom. 2. Conſt. 38. qui Conſt. 28. disquirit, an liberi Judæorum invitis parentibus poſſint baptizari: ubi etiam de Baptiſmo adultorum Judæorum a §. 32.

17.) Conc. Trid. Seſſ. 14. de Pœnit. C. 2. C. 8. X de divortiis.

num, cedant alteri Chriſtiano, exceptis tamen indoſſationibus Cambiorum. Similiter contractus inter Judæum & Chriſtianum debet fieri coram Magiſtratu legitimo Chriſtiani 18.), exceptis contractibus & commerciis in publicis & privilegiatis nundinis. Quamvis Judæi in judiciis admitti poſſint ad ſolenne Juramentum; ſummopere tamen Judex cavebit, ut nihil deſit ex iis, quæ ex vana obſervatione apud Judæos requiruntur; cenſent enim, juramentum non habere vires obligandi, niſi ſcrupuloſe obſerventur omnes ſolennitates apud ſe conſuetæ. Formulas talis juramenti varias varii referunt, etiam ordinatio Cameræ Imperialis 19.). Etiamſi omnia cautiſſime obſerventur, non deberet tamen Chriſtianus fiduciam habere in Juramento Judæi, cum iſti ſolenni quodam die, ſcilicet decimo menſis Tisri, quem dicunt *Jom Kippur*, diem

18.) Receſſ. Imp. Auguſt. 1551. §. 79.
19.) Ord. Cam. p. 1. tit. 86. & Concept. Ord. Cam. tit. 98.

diem expiationis 20.) abſolvantur ab omnibus juramentis 21.).

*Et Criminalia*

§. 186. Delicta Judæorum puniuntur juxta leges communes: nulla autem lex ſtatuit, ut Judæus furti reus, juxta vulgi perſuaſionem, pedibus ſuſpendatur, adjuncto cane: ſed collum laqueo inſerendum eſt, prout ſit apud Chriſtianos, niſi ob blasphemias aut alias circumſtantias aggravantes, exaſperanda ſit pœna. Judæus Chriſtianum ad Judaicam Religionem & circumciſionem pertrahens, punitur bonorum proſcriptione & perpetuo exilio 22.): hodie pœna capitis locum habet 23). Qui aliquem ex ſua ſecta converſum & baptizatum male tractet, & ei vim inferat, juxta leges comburendus eſſet

---

20.) De quo Levit. XXIII. 27. ſeqq.

21.) Jodocus Beck de Jurib. Judæor. Bodenschaz de hodiernis ritibus Judæorum part. 2. c. 5.

22.) L. 16. & 18. C. de Judæis.

23.) Regulariter proſcriptioni bonorum & deportationi in Legibus Romanis conſtitutæ, hodie ſubſtituitur decollatio. Julius Clar. recept. ſent. lib. 5. §. homicidium. n. 18. item §. fin. quæſt. 67. n. 8.

eſſet cum omnibus ſuis participibus 24.). Polygamia Judæis hodiernis eſt prohibita 25.): unde ſi quis Judæus alteram uxorem duceret, puniretur, ſicut apud Chriſtianos conſuetum eſt, niſi priori uxori dediſſet libellum repudii.

*Subſunt Legibus communibus.* §. 187. Matrimonium inter Judæum & Chriſtianam, & viciſſim, punitur ut adulterium 26.). Fornicatio inter Judæum & Chriſtianam, vel viciſſim, ſeverius punitur, quam commiſſa inter Chriſtianos. Sicut Chriſtianus, qui Judæo conſecratam hoſtiam vendit, igne comburitur, ſic ipſe Judæus, qui eam emit, & ad uſus impios adhibuit, eadem pœna punitur. Judæus, qui Clerico violentas manus injecit, puniendus eſt pœna temporali: ſi Eccleſiæ non ſatisfiat, Chriſtianis interdicitur, ne cum ipſo Judæo præſumant commercia exercere 27.); horum enim ſumma pœna eſt, ſi nemo cum ipſis commercia exercet. Viciſſim pœnam homicidii incurrit

24.) L. 3. C. de Judæis.
25.) L. 7. C. eod. C. 8. de divort
26.) L. 6. eod.
27.) C. 14. de Judæis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

currit etiam ille, qui Judæum occidit: nihilominus proprie Aſſaſinii reus non eſt, qui aliquem pretio conducit, ut Judæum occidat; nam Aſſaſinii reus dicitur, qui *quempiam Chriſtianorum* per Aſſaſinos interfici fecerit. Judæus, qui baptizatur, poteſt puniri ob crimina ante baptiſmum commiſſa ſicut Chriſtianus poſt peractam pœnitentiam: poteſt tamen baptiſmus eſſe cauſa mitigandi vel remittendi pœnam. Si autem Judæus poſt Baptiſmum in Apoſtaſiam incidat, non gaudet Jure Aſyli, ſed ab Inquiſitore extrahi poteſt 28.)

*De Judæo condemnato ad mortem.*

§. 188. Dubitant tamen aliqui, an Judæo ad mortem condemnato in loco chriſtiano permittendum ſit, ut Rabbi Judæus ei aſſiſtat in via & usque ad completam executionem ſententiæ? Certum eſt, ſuppeditanda eſſe tali Judæo ſufficientia media ad agnoſcendum ſuum errorem, & amplectendam fidem Catholicam, miſſis ad ipſum Sacerdotibus Catholicis, qui

28.) Benedictus XIV. Bullar. tom. 3. Conſt. 40. §. 3.

qui poſſint illum inſtruere : eo tamen pertinaciter erroribus ſuis adhærente, cenſent aliqui 29.) permittendam ipſi eſſe aſſiſtentiam Rabbini: cum enim Catholici Principes permittant Judæis liberum exercitium ſuæ religionis, circumciſionem filiorum, celebrationem Sabbathi, matrimonii contractum juxta leges Hebræas; hinc etiam cenſent, non denegandum ipſis eſſe hoc ſolatium, ut habeant aſſiſtentem Rabbinum, quando nulla ſpes ſupereſt converſionis. Quidquid hac in re decernant Magiſtratus Acatholici, ex quorum principiis Autores aliqui loquuntur, certe a Magiſtratu Catholico id nunquam permittetur, nec permitti poterit ſine gravi ſcandalo Catholicorum, qui ad ejusmodi executiones ſolent concurrere: nam Judæus magis confirmaretur in ſua pertinacia, & Catholici videre ac audire deberent multa Chriſto injurioſa.

TITU-

---

29.) Jodocus Beck de Jurib. Judæor. c. 13. §. 26.